



The Holy See

PIUS PP. X

MOTU PROPRIO

CUM PER APOSTOLICAS*

DE CONCESSIONIBUS INDULGENTIARUM
A SUPREMA S. CONGREGATIONE S. OFFICII RECOGNOSCENDIS

Cum per Apostolicas Nostras Litteras *de Romana Curia* quae incipiunt « *Sapienti Consilio* » , III Kal . Jul . an . MDCCCXVIII datas, *universam rem de indulgentiis*, ideo quae et curam circa rectam et prudentem earum moderationem et onus in vigilandi super earumdem publicatione et impressione, *uni* Supremae Sacrae Congregationi Sancti Officii devolutam voluerimus; ad praecavendas dubitationes quas cum quae quae ex concessionibus hac in materia aliter quam per praefatam Sacram Congregationem forte obtentis facile oriri possent, utque omnibus plane constet de earumdem authenticitate et efficacia, Suprema Nostra Auctoritate, motu proprio atque ex certa scientia, declaramus ac decernimus:

1°. Indulgentias quascumque, sive generales sive particulares, quae non respiciant ipsas personas petentium tantum, a supradicta Suprema Sacra Congregatione Sancti Officii esse recognoscendas;

2°. Idem dicendum de facultatibus concessis quibusvis sacerdotibus cuiuscumque gradus et dignitatis benedicendi pia obiecta eisque adnectendi indulgentias et privilegia pro quocumque vel quibuscumque christifidelibus;

3°. Concessionem indulgentiarum et facultatum, de quibus supra, vim habere tantum postquam Sacra Congregatio Sancti Officii illas authentice recognoverit;

4°. Quoad praeteritas, demum, concessionem, eas efficaciam tantum habituras, si intra sex

menses ab huius Nostri Decreti publicatione eidem Sacrae Congregationi exhibitae ab eaque recognitae fuerint;

5°. Idcirco impetrantes posthac huiusmodi concessionones teneri, sub poena nullitatis gratiae obtentae, exemplar earumdem dictae Supremae Sacrae Sancti Officii Congregationi exhibere, ut rite recognosci ac ratae haberi possint.

Haec edicimus, declaramus, sancimus, contrariis quibuscumque, etiam speciali et individua mentione ac derogatione dignis, non obstantibus.

Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

Datum Romae, apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die VII Aprilis MCMX, Pontificatus Nostri anno septimo.

PIUS PP. X

*AAS, vol. II (1910), n. 6, pp. 225-226.

©Copyright - Libreria Editrice Vaticana